

Andreas Daniel Habichhorst Joachim Lindemann

Disputatio Inauguralis Exegetico-Theologica De Sanctis Cum Resurgente Christo Resurgentibus : Ex Matth. XXVII. 52. 53.

Rostochi[i]: Weplingius, 1695


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740913417>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 9. April 1695

Habichhorst, Andr. Dan. /c



XXXIII
Q. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS EXEGETICO-THEOLOGICA
DE

SANCTIS
CUM RESURGENTE CHRISTO
RESURGENTIBUS,

Ex Matth. XXVII. 52. 53.

263

QUAM
JUSSU

Venerandæ FACULTATIS THEOLOGICÆ
SUB PRÆSIDIO

DN. ANDR. DANIELIS
HABICHHORSTII,

S. Th. D. ejusdemq; PP. & Consilarii Duc. Mekelb.
Consistorialis, Collegiiq; Professorum Duc. nec non Facultatis Theol.
Senioris & h. t. Decani spectatissimi,

Domini FAUTORIS & PROMOTORIS sui maxime devenerandi,
Ad d. IX. Aprilis A. C. MDC. XCV. horis ante & pomerid.

IN AUDITORIO MAJORI celeberrimæ Univerf. Patriæ,
PRO LICENTIA

Gradum & privilegia DOCTORIS in Theologia ritè impetrandi,
amicabili eruditorum disquisitioni submitte

M. JOACHIMUS Lindemañ/
ROSTOCHIENSIS,

Phyf. & Metaphyf. Prof. ordin. Publ. F. C. t. Philosoph. h. t. Decanus
& ad Ædem D. Mariæ Archi-Diaconus.

Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII, Univerf. Typogr.

DISPUTATIO INAUGURALIS EXERCITICO THEOLOGICA

DE

SANCTIS

CUM RESURGENTE CHRISTO
RESURGENTIBUS

ANNO MDCCLXXVII

QUAM

JUSSU

Venerandae FACULTATIS THEOLOGICAE

SUB PRÆSIDIO

DN. ANDR. DANIELS

HABITIONE

2. Th. D. eiusdemque

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Defensoris

Magistri

in

MAIORI

MAIORI

MAIORI

MAIORI

MAIORI

MAIORI

MAIORI

Α : Ω.

PROOEMIUM



Loriosam planè & triumphalem dulcissimi Salvatoris mortem, Scriptura S. Paulo interprete, dignissimis hisce commendat elogiis, dicens Ebr. II. 9. Jesum διὰ τὸ πάθημα ἔγενετο δόξα καὶ ἡμῶν ἐσφαιρόμενον i. e. per passiones mortis gloria & honore coronatum fuisse. Hujus triumphi, in Evangelica sane historia, planè egregia extant mo-

numenta. Creaturas prohi! inanimatas qvendam veluti sensum mortis hujus habuisse, terramq, concussam, & montes qvassatos, imo & velum interioris Sacrarri scissum, &c. jure miramur. Sed præ ceteris, miraculum omninò magnum, apertio sepulchrorum, qvæ post luctuosam Christi in cruce pendentis mortem contigit, ut & Resurrectio Sanctorum, qvæ Resurrectionem Christicomitabatur, nostros in se oculos convertit. De illa enim *Matthæus Cap. XXVII. 52. 53. nobis sequentia consignavit.*

Text. Orig.	Versio Vulg.	B. Luth. Germ.
V. 52. Καὶ τὰ μνημεία ἀνεώχθησαν καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἤγειρον.	Et monumenta sunt aperta, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.	Und die Gräber thäten sich auff / und stunden auf viel Leibe der Heiligen / die da schlieffen. Und
V. 53. Καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων μετὰ τὴν ἡγερσιν αὐτῶν, εἰσῆλθον εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς.	Et egressi ex monumentis, post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam Civitatem & apparuerunt multis.	giengen aus den Gräbern nach seiner Auferstehung / und kamen in die Heilige Stad / und erschie. nen vielen.

Az

Et

Et quamvis hac vice nec verborum ornatus nec rerum pondera, abs nobis, justo tempore exclusis, expectare benevolus L. queat, sed extemporalem quendam & ferè acrem ingenii fœrum; in id tamen incumbemus, ut commendatam à Paulo viam ineamus, & τῆς ἀπλότης τῆς εἰς χριστὸν, II. Cor. XI. 3. probè memores simus. Tu vero,

Meam JEHOVA Linguam Dirige!

SECTIO I. EXEGETICA

Verborum S. Textus SENSUM evolvens

S. I.



Erissimum nunc ipso experior facto, Rabbiorum illud effatum: *Ex quolibet puncto & litera Scriptura S, pendunt montes doctrinae.* Etenim in Themate, ex præscripto *Venerande FCtis Theologicae* enucleando, tot Magnalia Domini refulgent, ut non nisi venerabundus hoc Sacrarium ingrediar. Haec Evangelista crucifixionem mortemq; Christi, & miracula illam comitantia, descripserat, in Prooemio jam laudata; tandem v. his miraculis annumerat *sepulchrorum apertionem, & sublecutam deinceps partium ularem Sanctorum resurrectionem.* Hanc commodius resolvere non possumus, quàm si *subjectum Loci & prædicatum* ordine consideraverimus. Subjectum illi sunt, *qui resurrexerunt cum Christo Resurgente.* Disertè satis Evangelista: *σώματα τῶν κοιμηθέντων ἁγίων ἠγέρθη* i. e. *corpora dormientium Sanctorum resurrexerunt.* Cum autè nihil resurgat, nisi quod cecidit, *morituo*, fuisse illos oportet; sed quamdiu dormierint in suis conditoriis, illud quidè tacente scriptura discutere nostrum non est. Si *Feurbornio*, Disp. Theol. Fasc. V. ad stipulemur, corpora illorum jam in cinerem soluta fuisse, asseremus; Sed quis dubitaret, inter nostros redivivos fuisse etiam nonnullos N. T. fideles, ceu infra dicetur, quorum corpora talem nondum solutionem passa fuerunt? Quod verò mentionem facit *corporum*, illud jure divinus Scrip

ptor

ptor facit, cum *subjectum* quo resurrectionis sit corpus, per loca Joh. XIX. 26. seq. I. Cor. XV. 41. licet *subjectum* quod totus sit homo.

§. 2. Describuntur autem hi *homines cum Christo resurgentes*; quod (1.) fuerint *ἀγιοί* s. *sancti*. Non verò tales fuerunt Sancti, quales Pontificii comminiscuntur vel canonizant: neq; sic dicendi erunt ab operum vel iustitiæ propriæ merito, sed à fide in Christum, quæ nobis imputatur in iustitiam & sanctitatem. Quæ *Sanctitas* licet omnibus competat fidelibus, Rom. I. 7. Eph. I. 1. Prophetæ tamen & singulares DEI ministri majori quadam emphasi dicuntur *Sancti* 2. Reg. IV. v. 9. & c. (2.) describuntur, quod ante exsuscitationem fuerint *νεκροί, καὶ κοιμῶντες* s. *dormientes*. Stylo enim Scripturæ multoties mors eo comio somni notatur, ut Dan. XII. 4. & I. Thest. IV. 13. seqq. & c. In V. T. phrasin, *dormire cum Patribus*, non semper beatum hominis transitum notare, sed communem potius mortalium sortem, nonnulli contendunt contra illos, qui inter alia ex hac phrasi frustra colligi dicunt, Salomonem fuisse salvatum. Conf. *Hierem. Drexel, in Salom. illustratio*. Inerim nobis nullum remanet dubium, beatè sanctos tantùm fuisse hos cum Christo redivivos, quandoquidem cum addito illos Matthæus vocat, *corpora sanctorum*. Inutilis hic quæstio moveretur, an *quoad animam dormierint*? quam sententiam *Psychopannehyctarum* meritò repudiamus, statuentes dormisse illos tantum quoad corpus, & quidem in sepulchris, ex quibus ipsos evocabat Christus resurgens. Futile etiam commentum est Pontificiorum de *Limbo Patrum*: siquidem *Arthurus Puseus in Observat. Catholicis ad Matth.* contendit, hanc resurrectionem Sctorum nostrorum, fuisse educationem è limbo Patrum, qua animam; sed ubi manent *σώματα*? & ubi in scriptura fundatur illud *ἡ ἀνάστασις* ab inferno cœloqve distinctum? (3.) describuntur, quod *non omnia*, sed *multa* sanctorum corpora resurrexerint: ut adeo vox *multi* h. l. non æquipolleat τῶ *ἄλλοις* multi apud Dan. XII. 4. Nondum enim tempus universalis resurrectionis hinc aderat.

§. 3. Multis hinc ambagibus quæstio ventilari solet: *Utrum hi resurgentet nostri ex Sanctis Testamenti V. an vero ex illis iurini, qui Christum in carne viderant, adeoque sub ipsum N. T. initium obierant*? Satis audacter ipsi Pontificii scriptores numerum horum resurgentium ineunt, citantes ex V. T. *Evam, Adamum, Abrahamum, Isaacum, Jaco-*

bum, Josephum &c. Ex illis autem, qui sub initium N. T. vixerunt, Simeonem, Hannam, Elisabetham, Johannem Baptistam. &c. De Adamo & Eva sic statuere opus habuerunt, propria hypothese sua moti. Docent enim Adamum in monte Calvariae sepultum, & à calva illius sic locum fuisse appellatum, quia in re assensum Tertulliani, Origenis, Ambrosii, Athanasii. &c. jactant. Augustinum autem frustra allegant tanquam calvae hujus sententiae adsertorem, qui Lib. XVI. de Civit. DEI, sic habet. Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod Adam primus homo, in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit sepultus. Et ideo Calvaria locum dictum, quia caput generis humani ibi dicitur esse sepultum. Et verè fratres non incongruè creditur. &c. Quæ enim consequentia? Augustinus dicit hæc credi, & cum aliquo pietatis sensu dici posse, E. statuit, E. autor est hujus fabulæ. Ad pietatem hortari licitum esse puto arrepta hac occasione, quæ proposito B. Patris non repugnabat. In qua mundi regione mortuus sit Adam, nescitur, cum circa determinandum paradisi terrestris situm Cl. Huertius nunc novum schema Geographicum tentarit: Quis enarrabit nobis Adami agricolæ locum emortualem, qui certam sedem fixisse vix invenitur? quis calvam ejus ab aliis nudatis ossibus distinxit, aut Monachis hoc revelavit?

§. 4. Alii cum Comarino pedibus in illam eunt sententiam, quod soli fæderis Novi homines sancti, qui Christum in carne viderunt, resurrexisse perhibentur, cum apparitione sua debuerint se commendare hominibus eorumque animis, quod ex mortuis per divinam Christi patientis & resurgentis potentiam, fuerint excitati. Rationes Comarini in Diss. de his mortuis; th. §. hæc sunt, quod civitatem sanctam invenerint, atque illic multis apparuerint, à quibus procul dubio cognosciverint; agnosci v. ordinariè non potuerint, nisi vel ipsi se nominibus manifestaverint (quod si fecissent, aliquid fortasse de illorum nominibus haberemus) vel apparuerint Senibus, apud quos nondum forma eorum & memoria erat oblitterata. Sed his certè rationibus id, quod à Comarino affirmatur, non probatur. Hæc enim consequentia valde lubrica est, quod, si nominibus se manifestaverint hi resuscitati hæctenus Hierosolymitanis ignoti, ea statim historię huic ab Evangelista fuerint inserta. Si quidem notum est, Scriptores sanctos multa, quæ ad circumstantias præprimis historicas spectant, certo satis consilio prætergisse, Deinde & rationi huic quod hi resuscitati hæc

haut dubiè cogniti Hierosolymitanis fuerint, quibus apparuerunt
reclamabunt, qui statuunt, resurgentes hos potuisse glarificato cor-
pore suo ejusdem esse conditionis, cujus fuerunt *Moses & Elias*, quos
Discipuli Servatoris agnoscebant, antea non visos. Mediâ igitur
viâ incedendum hic erit, & tamen citra temeritatem aliquid statu-
endum. Scilicet probabiliter quidam ex V. & quidam ex N. T. Sanctis
resurrexerunt. Ex prioribus eminent *Jobi* fides atq; pietas, qui c. 19.
Salvatorem sive Goelem suum eâ dicit visione se visurum, ad quam
nullus admittetur peregrinus. Nec frustra est, quod contumula-
ri *Jacob*, piissimus Patriarcha, in terra voluerit Canaan, in qua par-
ticularis hæc sanctorum resurrectio est visa. Pro *Josepho* expressè
Lutherus in fine *Comment. in Genesin* pronunciat. Ad testificandam
enim suam in Messiam fidem, ossa sua in terram transferri Canaan
disserè jubet. Ex N. T. sanctos quosdam esse additos, e. c. *Simeonem, Joh.*
Baptistam, probabile satis est, ut scilicet docerentur videntes, tñ corpus
s. hoc ipsum corpus resurgere, quod pridem in exinanitione conspe-
xerunt. Conf. *Danbauv. Hodof. phœnom. 8. p. 744.* Ast vero quid dicen-
dum hic de *Davide* ? *Augustinus* sanè Ep. 99. ad *Evodium* existimat du-
rum, eundem ex resuscitatorum istorum numero excludere velle. Cui & *Pon-*
tificii subscribunt, Sed frustra hoc inde probant, quod in *genealo-*
gia Christi nobile membrum David legatur. Num ergo omnes illi
Patres, quos *Matthæus* cap. 1. in tessera decades distinguit, prodire
sepulchris? Non putamus. Deinde nec ipse *Petrus* iisdem patrocini-
atur, ut ut primus ipsorum Pontifex, uti volunt, fuerit. Siquidem
Act. II. 29. 30. longè post resurrectionem hanc particularem de se-
pulchro *Davidis* patriarchæ (sic enim salutatur illum) testatur, *ipsum*
sepulchrum in illum usque diem exitisse. Numquid verò credideris,
hunc verborum esse sensum: *Davidis sepulchrum (corpore ejus vacuum)*
apud nos in hunc usq; diem videsur? Quid quæso de Apostoli sco-
po fieret, demonstrantis, verba *Psalmi 16. non dabis sanctum tuum*
videre corruptionem, non ad *Davidem* Psalmistam, in sepulchro
suo pridem in favillas solutum, sed ad *Dominum* potiùs *JESUM* spe-
ctare? Unum his addo sententiis. Monumenta sanè mortuis apud
Jhudæos erecta (quorum quædam hic aperta dicuntur) in illam me
opinionem trahunt, ut dicam, ex *Prophetis* quosdam in illis fuisse con-
ditos ex illisq; hic resuscitatos; *Jhudæi* enim memoriam Prophe-
tarum

tarum sanctorumq; Virorū conservaturi, monumenta (quæ proinde hic à Matthæo vocantur *μνημεῖα* à *memoria*) reparare simul atq; exornare solebant: Unde originem trahunt *τίθοι κερθια μένοι*. Matth. 23. 27. Sed abrumpendum: Temporis enim penuria & festina Typothetarum manus, plura semper poscentes, ut absolvere pensum definito & sic satis angusto queant termino, properare nos cogunt.

S. 6. Igitur à subjecti consideratione ad *prædicatum* progredimur, scil. ad ipsam *horummet sanctorum resurrectionem*, quam nobis Matthæus his depingit verbis: *Et multa corpora sanctorum, quæ dormierant, resurrexerunt, & egressi è monumentis &c.* Circa hoc *prædicatum* tria nobis ordine dilucidanda veniunt, 1. *antecedentia* hujus resurrectionis Sanctorum, 2. *presentia* s. resurrectione ipsa 3. *consequentia*. Ad 1. nempe *antecedentia* quod attinet, solliciti jam non sumus, de *remotè* antecedentibus, nempe de ipsa Christi crucifixione, de septem ejus verbis in cruce prolatis, de illusionem spectatorum, de morte Servatoris, de ceteris mortem Ejus s. comitantibus s. subsecutis miraculis, in celo, terra & templo visis: Solis scilicet *obscuratione* supernaturali, veli interioris à summo usq; ad imum in duas partes scissione, terræ commotione, petrarum scissione: quæ omnia Spiritus S. Amanuens in præcedenti crucifixionis & mortis Christi historia recenset; sed de illis tantum, quæ *proximè* particularem hanc Sanctorum resuscitationem *præcesserunt*. Huc vero spectat *monumentorum*, in quibus hi sancti dormierunt, *apertio*, quam Matthæus eodem versu s. 2. quod resurrectionem illorum refert, sic designat: *Et monumenta sunt aperta*. Illam enim monumentorum apertionem præmittere resurrectioni hujc videtur Evangelista, tum quia hæc *apertio* ipsius resuscitationis hujus particularis quasi *ἑτοιμασίη* s. *preparatio* quædam seu præludium & præfagium, imo & *typus* videtur *Christi* esse universalis inq; die extremo futura monumentorum apertionis: *cū* quia mortis Christi *fructus* hac ipsa sepulchrorum apertione, quæ mortem Christi subsecuta, significandus erat, quod nempe moriens Christus paulòque post sepeliendus, non sibi moriatur & sepeliatur, sed nobis sit mortuus, & virtus ejusdem mortis in sepulchra, imò ad inferos usque penetrarit. Post *finem* quoque *tempus* apertionis hujus & *causa efficiens media* erunt annotanda & ex *proximè* præced. v. 51. petenda, ubi *commotionis terra petrarumq;*
scif.

scissionis mentio habetur. Inde enim colligimus, *aperitionem monumentorum* subito factam in illo terræ motu & petrarum scissione, eademq; singulari miraculo disiectis fissisve marmoribus superimpositis, monumenta hæc sanctorum fuisse aperta, ceu loquitur *D. Kunadus Disp. ad h. l. §. 1.* Antiquissimus enim contumulandi cadavera ritus fuit, ut in cavernis vel cryptis conderentur, & quidem *extracivitatem*. Vid. *Quensied. de sepultura veterum p. III. & Lylus Gyr aldus de ritu funerum aliiq;* Sed quis situs fuerit sepulchrorum per terræ motum apertorum, illud non cuivis patebit, nisi structuram sepulchrorum noverit ex more Judæorum factam, quam verbis *Goodwinip. 508.* sistimus. *Caverna ex rupe fornicata sebas VI. cubitorum longa, & IV. lata, in qua VIII. minores alæ cellule sive cavernule, vel juxta alios plures erant, distincta sc. pro recipiendis cadaveribus receptacula: quotiens quæquam humabant, solebant ori sepulchri ingens saxum apponere.* Conf. *Matth: 27. 60.* & vid. pluribus *Sculctei Exercit. Evang. p. 138.* Si igitur quæramus, pressius inhaerentes verbis Evangelistæ, quomodo per terræ motum hæc *perpetua fuerint aperta?* Resp. *αὶ πέτραι ἐξείδησαν*, quod verbum satis innuit, non devoluta ab ipsis monumentis saxa, quibus clauderentur ostia; sed *hiatum in ipsis petris factum.* Hanc verò scissionem petrarum non per accidens, sed speciali DEI œconomia sanctorum tumulos aperuisse statuendum erit. *An v. impiorum quoq; monumenta hæc ratione fuerint aperta?* non inconvenienter quæri posset. Sed videtur negandum, quia qui ex illis sepulchris egressi sunt, Sancti dicuntur. Insuper & *Gerhardus* expressè pro peculiari miraculo agnoscit, quicquid circa sepulchra hæc aperienda accidit, cui & nos suffragamur.

§. 6. Ab antecedentibus sine mora transimus ad præsentia s. ipsam resurrectionem sanctorum cum Christo redivivorum, quam ita designat Matthæus juxta vulgatum: *resurrexerunt, & egressi è monumentis post resurrectionem ejus.* Ubi majoris statim lucis ergo notanda bene est vocabuli *Resurrectionis* homonymia, vel distinctio inter vocem hanc specialiter s. strictè, & generaliter. latè sumtam: Etenim (1) specialiter & strictè sumitur, prout contradistinguitur τῆ ζωντικῆς ἢ. e. vivificationi s. reviviscentiæ, atque ita notat

B

ἀνά

ἀνάστασιν s. redivivi egressionem è sepulchro (2) generaliter & late, prout
vivificationem s. reviviscenciam s. resuscitationem simul inclu-
 dit; Hæc enim distinctio, uti alias in articulo de *persona Christi*,
si, & quidem in doctrina de *resurrectione* ejus, notabilem habet u-
 sum: ita & distinctiori historiae hujus evolutioni inservit. Ibi e-
 nim in articulo de *persona Christi resurrectione* specialiter accepta, &
 notans *resurrectionem* s. *egressionem è sepulchro*, est gradus posterior
 ipso ejus ad *infernus descensu*, quomodo sumitur i. Petr. III. ubi Apostolus
exaltationis Christi gradus recensens, ponit 1. *ζωοποίησιν* s. *vivi-*
ficationem, v. 18. 2. *ωρθευσιν eis Φυλακῆν* s. *defensum ad carcerem in-*
fernalem, v. 19. 3. *ἀνάστασιν* s. *resurrectionem* vel *egressionem è se-*
pulchro v. 21. 4. *ascensionem* in cœlum v. 22. 5. *sessionem* ad dextram
 DEI. ibid. Conf. & fundamentum distinctionis Eph. II 5. 6. Eandem
 Gerhardus probat ex Rom. XIV. 9. Tom. II. Disp. Theol. de Resurr. p. 1532.
 Similiter & h. l. quando jam *præsentia* resurrectionis Sanctorum, si-
 ve ipsam illorum *resurrectionem* evolvimus, vocabulum illud *gene-*
raliter & late accipimus, quatenus scil. *vivificationem* & *egressionem è*
sepulchro includit. Inde & non temerè illam sanctorum è *monumentis*
egressionem à consequentibus resurrectionis hujus diserte sejungimus,
 & non tantum vocem: *resurrexerunt*, sed & sequentia textus ver-
 ba: *& egressi sunt è monumentis post resurrectionem ejus*, ad præsentia
 s. ad ipsam resurrectionem referimus. *Vivificatio* enim sanctorum
 horummet notatur voce priori: *resurrexerunt*, vel juxta fontem
ἠγέρθη i. e. *resuscitati sunt* h. e. *vivificati*: quæ proinde *vivificatio* s. *re-*
suscitatio contradistinguitur hîc *ἀνάστασις* s. *egressioni è monumentis*,
 quæ statim hîc additur.

§. 7. His ergo distinctioris exegesis causâ de *resuscitatione*
 & *egressu* horum cum Christo redivivorum, præmonitis, jam
 de *causis & tempore* resurrectionis hujus, & quidem *tempore* tam
resuscitationis, quàm *egressionis è sepulchris*, nonnulla veniunt dis-
 quirienda. Scilicet dormierunt hi sancti, usque dum Christus eos-
 dem resuscitavit, h. e. post suum ad *infernus descensum*, virtute passio-
 nis & resurrectionis suæ illos è *Paradiso* quoad animam, è *monumen-*
tis verò quoad corpus in vitam reduxit, ut post partium corporis
 humani associationem, *vivificationem*, latamque erectionem, è

monu-

monumentis suis egrederentur, ad perhibendum de Christi resurrectione testimonium, vitamq; coelestem corpore simul atq; anima perpetuò vivendam: prout eximie, de tempore & causis hujusce particularis sanctorum resurrectionis, loquitur B. D. Kunadus in Disp. de sanctis his rediivis §. 9, omnesque adeo causas, efficientem, materialem, formalem & finalem, nervosè comprehendit. Nos missis hac vice causis, de tempore adhuc disquiremus, cum illud controversum magis deprehendamus.

§. 8, Queritur ergo, utrum hæc sanctorum resurrectio facta fuerit statim post apertionem sepulchrorum, & ante Christi è sepulchro egressum triumphalem, an post illam? Occasionem huic problemati suppeditant loca illa Paulina, in quibus I. Cor. XV. 20. sanè Salvator dicitur ἀπαρχὴ τῶν κοιμημένων i. e. primitia dormientium, itemq; Coloss. I. 18. πρῶτόγονος ἐκ τῶν νεκρῶν, h. e. Primogenitus ex mortuis, quæ verba directè videntur inferre, neminem ante Christum ad beatam immortalitatem resurrexisse. Tenemus igitur hanc sententiam: Sanctos, de quibus Matthæus agit, non statim post apertionem sepulchrorum, adeoque nec ante resurrectionem Christi, suscitatos fuisse, Supponimus enim Christum dici primogenitum ex mortuis, non tantum ratione efficacie & dignitatis, verùm quoque temporis. Inde & Hieronymus h. l. ideo, inquit, non ante Dominum resurrexerunt hi sancti, licet monumenta eorum aperta sint, ut Salvator, esset primogenitus resurrectionis ex mortuis, uti vocatur Col. I. 18. Apoc. I. 5. Nec obstat, quod B. Kunadus Disp. citatâ de sanctis his rediivis §. 11. his Hieronymi verbis sequentia opponit: Quia in V. quog; T. ante Christum, imò à Christo ipso ante passionem quidam fuerunt resuscitati, ideo Christus dicitur primogenitus mortuorum vel ex mortuis, non tam respectu temporis, quàm eminentiæ, virtutis, efficacie &c. Committitur enim ignoratio elenchi. Nam qui in V. T. ante Christum, imò & à Christo sunt resuscitati ante passionem, illi rursus sunt mortui, adeoque ad immortalem vitam non resuscitati. Christus ergo inter resuscitados ad immortalem vitam jure dicitur primus. Nec obstat unus Moses, de quo varii varia quærent. Audiamus B. D. Danhaueri hac de re judicium, qui disertè in Hodosoph. phænom. 8. p. 522. Christus, inquit, est primogenitus mortuorum, non solum dignitate, sed & tempore, quia ante Christum ad immortalem vitam nemo resurrexit, si Moysen excipias, quem ante trans-

B a

figurationem

figurationem montanam resurrexisse, nimis quam probabile est, quia non apparuit spectrum, sed contribulis ac socius Etia, in testimonium resurrectionis & gloriae Christi. Statuimus ergo, corpora sanctorum nostro: um non statim post aperiendum sepulchrorum fuisse excitatos & exiisse monumentis, uti Lazarus Joh. XI. 44. multo minus vivos & spirantes in illis jacuisse per triduum mortis Christi, & demum post resurr. Christi exiisse; sed potius per triduum sepulchra ipsorum aperta & convulsa mansisse, donec post Domini resurrectionem resuscitati simul ex tumulis antea patefactis prodierunt. Unde & verba Evangelistae: post resurrectionem eius, non tantum ad egressionem, verum quoque ad resurrectionem horum Sanctorum referenda erunt, dicendumque sanctos illos post resurrectionem & resuscitados & statim egressos ex monumentis esse. Dices: Matthæum tamen illam sanctorum resurrectionem non post, sed ante resurrectionem Christi historiam recensere: Sed Resp. per prolepsin historicam id fieri, in scripturis non usitatam, & quidem occasione ceterorum miraculorum & speciatim aperiendi monumentorum, quæ mortem Christi secuta sunt vel comitata.

§. 9. Nihilominus hic multis laborat Heinsius, Philologus Reformatus in Exercit. S. ad. h. l. p. 90. ut per distinctionem & transpositionem commatum, huic loco sensum nostroque contrarium affingat. Nos enim textum Græcum hac ratione distinctum reperimus: Et egressi ex monumentis post resurrectionem eius, ingressi sunt, &c. Ille vero sic: καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων, μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ εἰς Ἰερουσαλὴμ &c. i. e. Et surgentes ex monumentis, (nempe statim antequam Christus resurgeret) post resurrectionem eius ingressi sunt in sanctam civitatem. Est quidem hoc unius commatis negotium, sed quod sensum Scripturæ inflectit, cuius tamen autoritas nobis Sacro-Sancta esse debet. Audiamus verò ipsa Viri verba, ne quid ipsi affingere videamur: Non rectè, inquit, ut arbitror distinctus, nec conversus ipse locus est, cujus veram & genuinam distinctionem esse arbitror (nempe superiùs memoratam) ut hoc dicat: Vi quidem mortis Christi excitatos mortuos fuisse, quos postquam resurrexisset Dominus palam urbem ingressos &c. Deinde fatetur, se cum recepta hujus versiculi distinctione facere non posse. Aliam ergo quærit pro eadem sententia, quod scilicet sancti nostriredivivi, ante resurrectionem Salvatoris ex tumulis non prodierint, Ludovicus de Dieu Comment. in IV. Evang. p. 143. iterum in alia com-

maçur

matum dispositione fundatam; adsciscit autem *Syruum* in auxilium & sic legit: & exiverunt, & post resurrectionem ejus intrarunt in urbem sanctam. Castigat idem Autor *Bezam* quod statuat: quampis in continua serie ab Evangelistis recensentur miracula mortem Christi insecuta, & hac sanctorum quoque resurrectio commemoretur ante resurrectionem Christi, tamen illam esse ejus consequens. Subjungit demum *Lud. de Dieu* iudicium suum, quod est tale. Distinguendum ajo, Sanctorum resurrectionem, ab eorundem apparitione. Monumenta aperta sunt, Sancti inde egressi ante resurrectionem, ad demonstrandam vim mortis Christi; sed delinuerunt extra urbem, donec resuscitato Christo ingressi sunt sanctam urbem, ibiq; apparuerunt &c. Ea sententia, inquit magis aridet, & mutata solum distinguensula textui nullam vim inferre. Nos verò hanc sententiam ut (1.) originali textui vim inferentem (2.) Christo, qui primitie resurgentium & primogenitus ex mortuis, parum faventem, (3.) glorificatis quoque corporibus, quæ in angulum compingit, iniquam, non probamus, sed rejicimus, & nostræ §. 8. firmatæ, constanter in hæremus. Neq; enim putamus, Scripturam sine sacrilegio sic torqueri posse, ubi litera reclamat.

§. 10. Restant denique consideranda paucis *Consequencia*: ex quibus duo quidem textus disertè tradit, tertium vero certis rationibus concludetur. Nam (1.) dicit *Matthæus*, quod resuscitati Civitatem sanctam intrarunt. Ubi (a.) neminem offendere potest, quod *Jrusalem*, sanguinaria illa atque idololatriæ studiosa civitas *Jsa. l. 13. 21.* dicatur hic sancta, sicut & hodiernum *Palestina* hoc elogio gaudet, quod terra salutetur sancta. Siquidem vulgaris hæc Civitatis appellatio est *Matt. IV. 5.* quid? quod alius laudis, alius culpæ respectus habetur. Ratio laudis elucescit tum à sanctis, quæ servabantur ibi DEO, reliquiis, *Jsa. I. 9. Hof. l. 10.* tum ab electione atque inhabitatione DEI, 2. *Chron VI. 6. Pf. 135. 21.* tum denique à nova tempore adventus Messie promissa sanctitate *Jsa. IV. 3. c. LII. 1. Zach. VIII. 3.* Nec (b) evidenti ratione caret, quod hi sancti in sanctam hanc urbem post Christi resurr. sui- que resuscitationem venerint: siquidem defuncti apud veteres extra urbem sepeliebantur. vid. *Matth. VIII. 28. c. XXVII. 60. Joh. XIX. 41. Luc. VII. 12. Conf. & Gen. XXIII. 20.* Ut nihil nunc de moribus veteris Christianorum Ecclesiæ dicamus, quorum etiam respectus *Synodus Bracarensis seculo VII.* ordinavit, ut defuncti, non intra sancto-

rum Basilicas, sed extra Civitatem sepulturas haberent. Ejusdem quoque tenoris Canonem à Concilio Nannetensi conditum adducit Rivetus in Epist. ad Amicum p. 161. qui tamen non illud obtinet, pro quo sanè magno conatu militat, quod scilicet non hodiè etiam liceat, ubi superstitio abest, nonnullos intra Civitatis mœnia, in ipsaque æde sacra tumulum habere: siquidem & sancti V. T. in Civitate busta habuerunt, e. c. Samuel in domo sua 1. Sam. XXV. 1. David in civitate 1. Reg. II. 10. quanquam fortè ex religionis honore fuerit, si non adeo multi in templo sepelirentur, ne terrâ vendere vel αἰχροκερδῶν committere Christiani viderentur.

§. II. Secundum resurrectionis consequens est resuscitatorum apparitio. Matthæus enim dicit: & apparuerunt multis. Primò hic talem removemus apparitionem, quæ phasmatum est; licet Aristoteles illa dividat in phasmata καὶ ἐμφασιν & καὶ ὑπόστασιν talia. Deinde apparitionis terminus ita accipiendus est, ut non quamlibet ideam volitantem seu oculorum quoddam ludibrium; sed rem seu objectum sensibus externis præsentatum designet. Inde nos verbum fontis ἐμφανισθῆναι reddere mallems per: manifestè conspecti sunt; quam sanè vocis emphasin alia satis loca probant, ut Act. X. 40. ubi Christus resurgens dicitur ἐμφανῆς ἵ. manifestus fieri, cujus tamen apparitiones post resurrectionem tum veritatem tum etiam claritatem habuerunt, ut ab omnibus sufficienter agnosceretur. conf. & Ebr. IX. 24. Rationem verò si quæras, cur manifestatio talis redivivorum horummet sanctorum non omnibus promiscuè facta fuerit, sed tantum multis? petenda erit responsio ex natura & prerogativis corporum glorificatorum, quas Apostolus clarè satis describit 1. Cor. XV. 42. seqq. Ubi ergo corpus pure ψυχικὸν non manet, sed πνευματικὸν juxta l. c. resurgit, ibi nihil implicat affirmare, corpora glorificata, respectu non glorificatorum, esse invisibilia, naturaliter scilicet, non tamen simpliciter: supernaturali enim dispensatione à nobis videntur. Cum igitur in corporibus horum resurgentium factus jam gloriosus ille μετασχηματισμὸς esset, de quo dicitur Philip. III. v. 11. jamque σώματα τῆς δόξης haberent, quorum utique alia ratio est, quam corporum plurè naturalium, hinc apparuerunt quidem hominibus; non tamen cum illis conversati fuerunt,

ut

ut reliqui ab vitam mortalem resuscitati adeoq; bis mortui, quorum in V. & N. T. passim mentio habetur; hos vero ad immortalem vitam fuisse resuscitados ex dicendis mox apparebit.

S. 12. Superest enim, ut de tertio etiam consequenti pauca annotemus s. potius inquiramus, quid de hisce resuscitatis porro sit actum? an, post perhibitum de resurrectione suorum corporum per Christum facta testimonium, in sepulchra redierint adeoque bis mortui fuerint; an vero ad immortalem vitam resuscitati, cum Christo in caelum sine sublatis? Magno sanè studio in negativam incumbunt, non tantum ex Patribus Augustinus & Theophylactus, sed ex Reformatis quoq; Viri eruditi. Exhibebo aliquot illorum sententias. Vossius in Harm. Evang. Lib. III. Cap. II. p. 366. Malunt dicere juniores, si mortui fuissent (illi qui apud Matthæum resuscitati leguntur) resurrectionem hanc fuisse instar pæne; sed aliter veteres. Et sanè quod juniores dicunt aliqui, non fore aliqui certos resurrectionis testes, id non magni videtur momenti: quia quicquid deinceps de iis fieret, constaret nemini, eoq; satis esset, si resurrexissent eos innotesceret &c. pergit deinde quibus aliud videtur præterea ajunt: Si iterum fuisset moriendum, non beneficium fore resurrectionem sed tormerium. Id vero nihil est, quia jucundissimum fuit bis animis, Christum conspiciere & cum eo sine dolore ullo, quod facile fuit Deo præstare, corpus deserentes, ascendere in locum animis beatis destinatum, ut æternum forent cum Christo ante thronum Dei. Non ab similia habet Jean de' Espagne in literis suis ad Amicum super I. Cor. XV. v. 20. mollius tamen loquitur. Similiter & Comarinus supra citatus in Diss. de Bis mortuis p. 175. hos sanctos bis mortuis accenser, simulque pro sua hac sententia citat Auctoritatem de mirabilibus Scripturae, S. l. 3. c. 13. sive is Augustinus est sive alius (qua de re videatur Labbeus in Bellarm. de scriptor. Eccl. Tom. I. p. 133) item Augustinum Epist. 99. ad Evodium, ut & Calvinum, in Matth. 27. 53. hisque Hieronymi verba ex Tom. 9. operum suorum subjungit, quæ sic habent: quomodo Lazarus mortuus resurrexit, sic & multa sanctorum corpora resurrexerunt; hinc ita subsomit: jam verò Lazarus resurrexit, ut rursum moriturus, Ergo. Quæ tamen Hieronymi verba distorquet Comarinus, quando modum resuscitationis miraculosum confundit cum ejusdem sine terminatio & consequentibus, vel non probat simul, Hieronymo non de illo solùm, sed de hoc etiam sermonem esse. Nos ipsi alios opponimus Patres: Ambrosium in Psalm. Eusebii lib.

lib. IV. demonst. Evang. c. 11. *Stephanum* hares. p. 74. qui nobiscum faciunt; qui contrarium cum orthodoxis tuemur, statuentes hos resurgentes ad immortalem vitam esse suscitatos. Et licet hoc in scripturis expressè tam non habeatur, quàm oppositum; faver tamen ipse textus, dum verbum *ἐπιφαινόησεν* i. e. apparuerunt, adhibet, quod quandam glorificati corporis affectionem designat, conf. Marc. XVI. 9. (2) aliorum resuscitatorum corpora in cinerem non fuerunt conversa; hæc vero fuerunt in illum redacta: nec (3) leguntur in vitam corruptibilem reversi (4) non habuerunt amplius animale corpus, sed tale quod conspici ab omnibus non poterat. (5) quod aliis in vitam reductis naturalia vite subsidia data & ministrata sint, ut, filii Jairi Marc. V. 43. & Lazaro Joh. XII. 2. & Tabithæ quies indulta Act. IX. 40. vid. de statu resurgentium in hanc vitam, Meisner, Antropol. Decad. I. disp. II. lb. 22. *Fourhornium* Fasc. V. Disp. Theol. Sc. Rationem (6) addit Gerhardus. Fortè, inquit, hi resuscitati ab Evangelista vocantur Sancti, non solum, ut intelligamus illos fuisse dignos resurrectionis testes, sed etiam cum Domino in celum assumptos, in cujus fide olim obierant. Concludimus igitur dicendo, sanctos qui Christo resurgente etiam ipsi vitâ redonati, è monumentis sunt egressi, non bis mortuos, sed ad vitæ incorruptibilis atque aternæ fruitionem perductos, sedem mox sortemque cœlestem, corpore simul atq; animâ constanter possidendam, ingressos esse. Et tantum etiam de predicatis, quæ sanctis hic à Matthæo tribuuntur, adeoque de totius loci SENSU; Reliquum erit, ut USUM loci hactenus expositi brevibus quoq; adumbremus. Sicut enim *omnis scriptura deo inspirata utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad admonitionem* &c. juxta 2. Tim. III. pen. ita & locus hic de sanctis cum Christo resurgente resurgentibus. Esto igitur

SECTIO II. PRACTICA,

S: *Textum ad Usum accommodans.*

S. I.

Usus *Elementicus* I. contra Separatistas. Sicut olim, etiam temporibus perditissimis, in Ecclesia dabantur Sancti, & quidem multi: nam multa sanctorum corpora cum Christo resurgebant: ita & hodie Ecclesia, cui inferorum portæ non prævalerunt, Matth. XVI, non ita est effocta, ut non generet amplius, velut spiritalis

tualis Jerusalem, verè *fideles* adeoque *Sanctos*, quia semen illud verbi divini incorruptibile 1 Pet. I. 23. non vacuum redit, cum auditur Jlat. LV. II. Hinc in Ecclesia dantur *sancti*, tam *generatim* loquendo, sic ut integris tribuatur Ecclesiis Eph. I. 1. quamvis hinc Synecdochen totius pro parte concedat *Affelmannus* Synt. part. I. p. 634. quam *speciatim*, qui per sermonem DEI Patris, Joh. XVII. 70. & nomen Christi Spiritumq; DEI, 1. Cor. VI. 11. sanctificantur. Igitur *separare* quidem se pius debet à fratribus inordinatè viventibus, quoad affectum 1. Cor. V. 11. non verò à cœtu visibili, in quo mali bonis sanctisque mixti vivunt, quod ipse Christus Matth. XIII. 24. 38. 47. 48. & XXII. variis declarat parabolis, quibus Ecclesiam cum *agro triticum* simul atq; *zizania* producente, itè cum *sagena bonos* simul ac *malos pisces* concludente, unè & cum *nuptiis* quæ bonis pariter ac malis constant convivis. Eandem bonorum & malorum in Ecclesia mixturam longo ordine exempla Ecclesiarum ab orbe condito per scripturarum S. libros, imò & ipsa Christi Servatoris Schola, & Ecclesiæ ab Apostolis plantatæ, in Actis & Epistolis ipsorum plus satis ostendunt. Quid? quod de ipsis quoque *sanctis* tenendum, quod perfecti non sint, licet ad perfectionem tendant, cum non sine peccato & nævis vivant, cum adhuc peccatum in illis habitet Rom. VII. 14. quotidieq; pro peccatorum remissione Deum orent, Psalm. 32. 6. Quod rectè simul observandum contra *Pontificis*, *Perfectistas*, *Quakeros* & hodiernam *Fanaticorum* & *Enthusiastarum* catervam, qui per *Gnosticorum*, *Novatianorum* sive *Catharorum* aliorumque *Fanaticorum*, superioribus seculis ab Ecclesia damnatorum, ipsorumque *Socinianorum* vestigia ducti, perfectissimam renatorum *ἀναγεννασία* s. speciale quoddam renatis competens non-peccandi privilegium, nimis magnificè jactant. Vid. *D. Loeschri* Disp. de perfectione hominis renati, de A. 1690. ut & Disp. *D. Wideburgii* de perfectione hominis renati, in hac vita à peccatis non prorsus immuni, de A. 1692. qui §. 28. seqq. originem & progressum hujus fanaticismi per omnia ferè secula deducit. Conf. *Articul. Smalcad.* part. II. artic. 13. p. 336.

§. 2. Ullus *Elenct.* II. contra *Origenem* ut & *Socinianos*, omnesque illos, qui corpora eadem suscitatum iri, aut iisdem membris resurrectura negant. De *Origene* memorat *Affelmann.* part. I. Synt. ag. p. 104. quod *iisdem membris resurrectura* piorum corpora, negaveris. *Nicepho-*

C

115

rus vero Hist. Eccl. Lib. XVII. Cap. XXVII. p. 1090. perhibet, *Origenem* sensisse, vel certe *Origenis asselas*, in resurrectione hominum corpora rotunda & orbiculari specie resuscitanda fore. Vide plura apud *Cent. Magdeburg.* Cent. III. Cap. X p. 167. quibus naniis sola loci hujus litera, corpora opponitur, corpora sanctorum resuscitata, scilicet eadem, iisdem lineamentis conspicua & agnoscenda.

S. 3. *Ufus Elenct. III. contra illos, qui resurrectionem Christi negant.* Resurrectio enim illa in dubium vocanda non est, quæ sanctos mortuos secum ex sepulchris, testes exceptione majores, producit, qui sanctam ingressi urbem, de resurrectione Christi diserta satis testimonia perhibuerunt; ut nihil nunc de Apostolorum aliorumque testimoniis dicamus, qui Christum post resurrectionem suam viderunt oculis, manibusque simul suis tetigerunt. Ubi miramur, *Judeos doctrinam de resurrectione Christi invidis aspicere oculis*, cum tamen *Josephus*, celeberrimus illorum Historicus, *Aniq. Lib. XVIII. Cap. IV.* dicat, post eundem *Christus* rediit illis apparuit, cum divini *Propheciae* hæc & alia innumera de illo nuntiassent. Quin ipse *Lighthootus in Hor. Talmud.* disertè ex monumentis *Rabb.* docet, *Regnum Messia à resurrectione mortuorum inchoandum*, quod factum est.

S. 4. *Ufus Elenct. IV. contra Socinianos & quosdam Arminianos & quidem dupliciter.* Nam ex h. l. colligitur satisfactionis, à Christo per obedientiam summam præstitæ, sufficientia, quia ejus effectus, resurrectio ad gloriam splendide in sanctis hisce resuscitatis elucefcit. (2) Non ita per resurrectionem Christi nobis obtingere salutem, ut excludatur ejus passio. Conjungit utrumque scriptura, & h. l. mortis simul ac resurrectionis Christi salutarem effectum, apertionem sepulch. & resuscitationem horum sanctorum designat.

S. 5. *Ufus Elenct. V. contra Calvinianos. Si glorificata Sanctorum corpora videri non semper potuerunt, quamvis fuerint præsentia: quæ utò magis Christi corpus, quod non tantum est glorificatum sed & ipsius Dei corpus, propter personalem unionem, præsens esse potest realiter, in S. Cœna, quamvis non oculis corporeis videatur nec palpetur, quæ ceteroqui est Reformatorum contra præsentiam Christi in S. Cœna concludendi ratio satis vana.*

§. 6. *Usus Elencticus VI. contra illos, qui causas resurrectionis piorum & impiorum confundentes, non pios tantum sed & impios virtute meriti Christi resurrecturos contendunt. Hoc enim loco tantum credentes in Christum h. e. sancti post resurrectionem Christi resurgentes, & sepulchris suis sunt egressi, tanquam illorum singulare exemplum, qui quondam in die novissimo ad vitam sunt beatam virtute meriti Servatoris resurrecturi. Vi enim meriti Christi resurgere est ad vitam resurgere beatam, Joh. XIV. 19. c. XI. 25. jam v. impii non ad vitam sed ad mortem potius aeternam resurgunt. Quid? quod infelix illa impiorum resurrectio futura fuisset justo Christi iudicio & omnipotentia, si maximè Christus non passus nec resuscitatus fuisset. Impii non sunt membra corporis Christi, quod Christum tanquam caput in resurrectione sequetur: Quorsum facit Augustini dictum: quod praeesset in capite, sequetur in corpore. Neque de massa illorum sunt, quam Christus primitiis viventium sanctificavit, 1. Cor. XV. 20.*

§. 7. *Usus Elenct. VII. contra Epicureos resurrectionem mortuorum futuram negantes, Verè speranda est corporum resurrectio universalis, quia hac particularis illius praeludium vel typus antecessit. Deus enim, qui hac ratione sanctos evocavit tumulis, eadem ratione, omnes quoque homines in die extremo excitare potest. Cum igitur de potentia non dubitemus, de voluntate ejus hac in parte constat ex Scriptura, quæ de universali resurrectione omnium testatur. Dan. XII. 1. Act. XXIV. 15. 1. Pet. IV. 1. conf. & 2. Pet. III. 3. 4.*

§. 8. *Usus Didascalicus I, Redibunt resurgentium corpora (qualia & nostri habuerunt sancti cum Christo resurgentes) eruntque non spiritus, sed eadem quoad substantiam Job. XIX. 25. 2. Cor. V. 10. Phil. III. 21. non tamen corpora animalia; sed spiritalia, glorificata, incorruptilia h. e. qualitatibus vestita spiritalibus 1. Cor. XV. 42. seqq. quod sanè post exemplum Christi, (qui post resurrectionem, glorificatum corpore habebat & tamen spiritui se opponebat Luc. XXIV. 39.) sanctorum cum ipso resurgentium corpora monstrant, quæ apparuerunt multis, adeoque invisibilia fuerunt nondum glorificatis, licet non simpliciter, alias enim multis sanctæ urbis civibus visa non fuissent. Similiter & corpora hominum glorificata non glorificatis non semper actu videntur, neque naturaliter videri possunt.*

§. 9. *Usus Didasc. II. Dulcissimus Servator non sibi mortuus est*

est & resurrexit; sed nobis, ut mortis destrueret imperium. Cum enim moreretur, virtus sanè mortis ejus in *se. ultra* Sanctorum penetrabat, quæ *miraculosè mox aperiebantur*: quæ *aperitio* satis illustre fructus & virtutis hujus prælium erat; nec dubium, quin & inferi tremuerint Ebr. II. 14. 15. Cumque tertio is die ex mortuis resurgeret, sancti quoque multi resurgebant, ut nostræ etiam ad vitam omnino beatam resurrectionis, vi resurrectionis Christi nobis futuræ, typus essent. Joh. XI. 25. c. XIV. 19.

§. 10. *Ufus pædenticus I.* Qui fide in Christum cum resurgentibus sanctis sancti sunt, sanctitati quoque vitæ cum iisdem studeant; licet absoluta in hac vita perfectio non sit speranda.

§. 11. *Ufus pædent. II.* *Certitudinem resurrectionis, cujus prælium hæc sanctorum resurrectio est, quamque dies omnis exoriens nosque expergefaciens significat, quotidianâ meditatione pie recolamus, ut peccata vitemus & sanctitati studeamus.*

§. 12. *Ufus pædent. III.* *Aperiamus quotidie conscientia cumulos foetoresque peccatorum ejiciamus, & cum Christo resurgamus spiritaliter, ne secunda nobis mors dominetur, sed beati potius in die extremo resurgamus Apoc. XX. 5. 6.*


§. 13. *Ufus paracliticus I.* Quid tristamur? quid reformidamus mortem? Non moriemur, nec peribimus, sed *dormiemus* saltem cum sanctis his redivivis, & evigilabimus à Christo resuscitandi 2. Thess. IV. 13.

§. 14. *Ufus paracl. II.* Quid præsentis vitæ tædia & odia dolemus? cur non omnia *spe resurrectionis ad vitam planè gloriolam despiciamus?* sicut enim hi sancti ex mortuis *resuscitati civitatem sanctam & dein cœlestem Jerusalem, intrarunt*: ita & nos cœlestis olim civitatis felices incolæ erimus,

ubi sanè

*Cessabit gemitus, luctus, metus, ira, voluptas,
Fraus, dolor atq; dolus, mœror, discordia, livor,
Nullus egens, nullus cupiens, sed pace sub una
Sufficiet cunctis Sanctorum gloria, CHRISTUS.*

M. ⊕. Δ.





§. 6. *Usus Elencticus VI. contra illos,*
rectionis piorum & impiorum confundentes, non p
& impios virtute meriti Christi resurrecturos con
enim loco tantum credentes in Christum h. e. sancti p
Christi resurgentes, è sepulchris suis sunt egressi, tanquan
lare exemplum, qui quondam in die novissimo ad vit
virtute meriti Servatoris resurrecturi. Vi enim n
surgere est ad vitam resurgere beatam, Joh. XIV. 19
impii non ad vitam sed ad mortem potius aeternam r
quod infelix illa impiorum resurrectio futura fuisse
dicio & omnipotentia, si maximè Christus non pa
tatus fuisset. Impii non sunt membra corporis Christi,
tanquam caput in resurrectione sequetur: Quorsu
dictum: quod pracescit in capite, sequetur in corpore. No
rum sunt, quam Christus primitia viventium sanctifica

§. 7. *Usus Elenct. VII. contra Epicureos re*
uorum futuram negantes, Verè speranda est corporum
lis, quia hæc particularis illius præludium vel typus
enim, qui hac ratione sanctos evocavit tumulis, eade
quoque homines in die extremo excitare potest.
potentia non dubitemus, de voluntate ejus hac in part
ptura, quæ de universali resurrectione omnium tel
i. Act. XXIV. 15. 1. Pet. IV. 1. conf. & 2. Pet. III. 3. 4.

§. 8. *Usus Didascalicus I. Redibunt resur*
(qualia & nostri habuerunt sancti cum Christo resur
non spiritus, sed eadem quoad substantiam Job. XI
Phil. III. 21. non tamen corpora animalia; sed spiritualia
incorruptilia h. e. qualitatibus vestita spiritualibus 1. Cor
fanè post exemplum Christi, (qui post resurrectione
corpore habebat & tamen spiritui se opponebat Luc. XX
cum ipso resurgentium corpora monstrant, quæ ap
adeoque invisibilia fuerunt nondum glorificatis, li
alias enim multis sanctæ urbis civibus visa non fuiss
corpora hominum glorificata non glorificatis ne
dentur, neque naturaliter videri possunt.

§. 9. *Usus Didasc. II. Dulcissimus Servator*

